

Confessores per instantiam adhuc plura talia sacramenta opponentes, v.g. Preces ratione promissæ efficaciam atq; fructu, ostendunt tamen vocabuli propriè, ipsis non æquipollere Voci stricte & absolute, sed ex hypothesi & statuto quorundam saltem Theologorum, si eos sequi velimus acceptum, ut cum iisdem, sicut & ipsi faciunt, nos loqui possimus, confer Apol. tol. 202. ubi porro dicunt: Si adhuc latius Sacramenti significatum extendere liceat, ut idem sit, ac quod Deus quo modo præcepit, non solum *Matrimonium*, sed *Magistratum* quoq; *politicum* Sacramenti nomine compellendum fore; ut adeò appareat, vocem Sacramenti *latissime* sumtam, plura quam *septem* illa Papistica; Late acceptam, plura quam *duo Evangelica*, *strictè* verò, non nisi ambo ista, quæ stylo Scripturæ *alia* sunt, notare. Par ratio est vocabuli, *Meriti*, quo Apologia Confessionis Augustanæ de nuda consequutione, physicâ, exclusa dignitate morali, & medio impetrandi, utitur, ut opera dicantur *mereri*, h. e. consequi præmia temporalia & æterna, & tamen negentur esse *media consequendi* sive remissionem peccatorum, sive iustitiam & vitam æternam, uti patet ex collatione dictorum, fol. 87. 96. 117. 135. 137. idque agunt more Patrum, Augustini, Ambrosii, Gregorii, Cypriani, ceu Chemnit. in Exam. Concil. Trident. Gerhard. Conf. Cathol. Lib. ult. p. 893. id pluribus probatum dederunt.

Thesis VII.

Cum itaque Termini atque phrasæ loquendi, diverso tempore, à Doctoribus, etiam diversimodè accipiuntur, qui conscientiam consulere cupiunt, ad præsen-